

Nota praefignis: *D. Colomannus Kbellner dedit hunc libellulum Monasterio S. Dorothee anno 1518.* varia complectitur, et I. quidem *Prologum in librum de consolatione theologiae* cum Elencho XV. Librorum et ipsis Libris. Scriptit istud Opus ad imitationem *Boethii F. Johannes de Tambaco*, seu *Dambach Alsatiae* O. P. primus in Studio generali a *Carolo IV. Pragae* instituto a. 1347. Theologiae Lector, et demum a. 1372. *Friburgi Brisgoiae*, ut videtur, extinctus. Editio princeps Operis *f. l. et a. fed Argentinae*, ut puto, circa 1470. f. curata in calce enuntiat, illud a. 1366. *in die Ambrosij* ab Autore consummatum fuisse. Noli vero credere, integrum haberi in praesenti Codice. Tumultuaria solum Defloratio est, id, quod vel verbulo Librarius innuere potuisset. Exemplo fit, Defloratorem non ultra L. XV. C. 9. *Considerationem 5.* processisse, stitisseque in Verbis *Bedae: contra omnes antiqui hostis insidias accingi.*

II. *fol. 81. p. 2.* succedunt *Libri duo* Dialogo inter *Magistrum* et *Discipulum* concepti *de Custodia*, ut solum ad calcem legitur, *Virginitatis.* Incipiunt porro *ἀνεπύραφως: Semper quidem frater dulcissime ut nosti delectatus sum cum tua dilectione de salubribus materijs confabulari &c.* et Autorem habent *Michaelem* Ord. *Carthus.* Priorem *Gyriacensem* in *Styria*, tum *Agsbacensem* in *Austria* demortuum a. 1401. ut habes

*Bibliothecae Ascet. Pezianae* T. II. in quo p. 95. Dialogi nostri comparent, minus recte tamen inter *Magistrum* et *Virginem*, si feminam intelligas.

III. *fol. 118. p. 2.* *Incipitur in sudoris vultus.* Ita indoctus Librarius. Familiaris fuit *Henrico* nostro *de Hassia* Locus ille *Genes. C. III. v. 19.* nam et *Tractatum* alterum *de Contractibus* ab illo orsus est, et *Sermone* a *Bern. Pezio* in Cod. *Agsbacensi* reperto de eo differuit, et in *Commentario* suo *in Genesin*, eodem teste e Cod. *Mellicensi*, fuse illum exposuit, quod et Codex a nobis hoc *Vol.* indicatus confirmat. Quidni igitur praefens *Dissertatio* ex ejus sententiis conflata sit. Orditur illa: *In sudore vultus tui vesceris panem tuo. In labore graui et assiduo sudores erumpere faciente comedas panem tuum &c.*

IV. *fol. 129.* sequitur *Cultus* *Passionis dominicae* per VII. Horas canonicas dispositus, et eadem ratione recoluntur VII. *Tristitiae*, totidemque *Gaudia* B. V. *Mariae.* Praemissa singulis *Narratio* docet, quam gratus Deo fit hic cultus. Initium est: *Qui ad eternam gloriam beatorum desiderat pervenire &c.* Tractavit idem argumentum supra dictus *Henricus*, sed alia ratione, ut *Vol. I.* retuli, et II. repetii.

## DCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 3491  
XV. Folior. 226. f. per duas column-

lumnas bene scriptus, minioque distinctus duo comprehendit Opera, quorum I. incipit: *In nomine domini nostri ihesu christi. qui est alpha et O. principium et finis. Apok. ult. Gloriosissimo et nobilissimo magno principi et regi guisgotarum et terrestri christi vicario in provincia bethica et circum adiacentibus et longe lateque diffusis regnis byspanie Alfonso (XI.) — regnanti in Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLI<sup>o</sup>. et abinde feliciter (usque ad a. 1350.) regnatura. Frater Alvarus (Pelagius) professione minorum Siluensis ecclesie minister et presul. decretorum doctor — Collyrium cum quo oculos tuos regales interiores ungere valeas — et Speculum mentis in quo te assidue speculeris in hoc libello, quod precencio tibi transmitto, quo preciosius et durabilius tibi meo domino naturali et precordialiter mihi dilecto destinare non valeo. Duplex ergo Collyrium reliquit Alvarus, si modo Opus suum adversus Haereses ipsemet inscripsit Collyrium, quod ex iis, quae adfert Nic. Antonius Bibl. Hisp. Vet. edit. novae T. II. p. 151. non satis adparet. Nostrum sane rarissime obvium est; nemo enim Codices indicat, nemo novit Collyrium vocari, Trithemius, Waddingus, Antonius, Fabricius tantum Speculum Regum adpellant. Prologus porro ita profequitur: *Feliciter hijs diebus contra hismahelitas mauros et arabes filios spurcitos mahumeti magi et camelarii pseudoprophete et barbaras natio-**

*nes dimicasti, sed in exercitu tuo deus dux fuit.* Alludit hic ad memorabilem Pugnam Salatensem 30. Oct. 1340. in qua caesa feruntur ultra 200. Maurorum millia Christianis paucissimis desideratis, et Regem ad persequendos successus animat: *Tibi de iure debetur Africa &c.* Officia Principum primum generatim, dein per singulas Virtutum tradit species, atque ita cum e sacra, tum e profana Antiquitate illustrat, ut nihil praeter illo habeant Thomae Aquin. et Aegidii Columnens. Tractatus de Regimine Principum, mirerque, eum solum *ἀνεκδοτον* remansisse. In fine duplex clausula: *Finiui hoc opus ego presul indignus siluen. Frater alvarus de ordine minorum In algarbio in villa de taura (prave Fabricius Ramra; ego legendum puto Taura) Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLVIII. mense Julij X. die transacta.* Cum in Prologo supra notetur annus 1341. aut annus 1344. Scribae *πρωτομα* est, aut intelligendum, illo anno coeptum fuisse Opus, hoc vero finitum. Clausula altera: *Scriptum mansae (Lunaelaci) Anno domini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. LVIII. decima octava die mensis aprilis. Per fratrem benedictum professum ibidem. Eundem fortasse Benedictum Eck de Piburg, qui teste Chron. p. 244. ab a. 1463. Coenobio Abbas utiliter praefuit.*

Alterum Opus fol. 122. ab alia manu profectum Epistolae sunt Petri Blesensis, Archidiaconi Bathoniensis in Anglia, quae ad numerum

1605

A S C E T I C I.

1606

merum CLI. ascendunt, adeoque ejusdem rationis cum Exemplo sunt, quod hoc *Vol.* e Codice *Dorotheano* dedi, ut *Index* commonstrat.

DCLXXXIII.

U. 103 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 398. 4. min. currente calamo non ab uno perscriptus frequentem exhibet farraginem: I. Excerpta moralia e *Petro Damiani*, *Simone de Cassia*, *Jobannis Sarisberienf. Policratico*, *Job. Balbi Catholico* &c. Nota omnia et improbe chartae adlita.

II. fol. 35. Lectura in *Esdras* et *Nehemiam* sequitur absque titulo cum Praefat. *Hieronymi* ad *Domnionem* et *Rogatianum*; habetur tamen ita ad calcem: *Finita sunt haec et extracta de lectura Magistri Stephani Stockarner felicitis memorie Anno domini 1437. feria 5ta post Elyfabeth D. Per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia.* Suspicio Interpretem nostrum latere in *Locheri Speculo Acad.* sub *M. Stephano Marquardo* (Markhart?) de *Stockerau* prave scripto, qui ad an. 1421. Scholas ad *S. Stephanum* rexit et Decanus Facult. Philosoph. fuit, Lecturamque suam praecipue e *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* congeffit. *Stockbarn*, *Stochern* et nobilis olim Stirpis fuit, et hodie loci nomen est in *Austria*. Exceptor noster *Wolfgangus* ex Oppido *Stein* a. 1443. Philosophis Decanus praefuit.

III. fol. 123. Lecturae similes in *Epistolam Jacobi* et utramque *Petri* ab eadem manu.

IV. fol. 177. Incipit prologus in *Tractatum de Spirituali vita anime Magistri Jobannis Gerson Cancellarij parisiensis* qui alias vocatur *Tractatus Sex lectionum satis utilium*. Prologus hic dirigitur ad *Petrum de Alliaco* Ep. jam *Cameracensem*, cujus se *discipulum* adpellat Noster. Opus ipsum infit: *Ego uos baptisavi aqua &c. Antiqua iam atque notissima patrum erudicione &c.* et extat editionis *Amstelod. dictae Antverpiensis* T. III. P. I. col. 2. 1706. f. Adjecit in fine Scriptor: *Finitus est hic tractatus — per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia anno Domini 1438<sup>mo</sup>. in die beati vigiliij et sociorum eius, que fuit 6<sup>a</sup> feria ante purificationem beate Marie virginis, in quo quidem die narrabatur a dicentibus a Domino Andrea (fors de Weytra Theologo Vien.) quod die octava Januarij declaravit Dominus Eugenius diuina prouidentia papa 4<sup>ta</sup> Concilium esse in Ferraria debere, eodemque die celebrata est, ut referebatur, prima sessio in eodem Concilio persistente tunc Concilio Basiliensi. timebatur scisma. Item 18<sup>ta</sup> Januarij translata est Curia Romana in Ferrariam, ut tunc dicebatur, regnante in Hungaria serenissimo Rege Alberto electo rege bohemie nec non duce Austrie Stirie &c. Marchioneque Morauie.*

H h 3

V.